



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118537

§. 7. Congregatio a Pontifice habita pro dando responso ad Cæsaris
postulata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

nis, & amplis mandatis agendi de rebus omnibus, quæ ad Rempublicam pertinebunt, ut ne qua mora deliberationibus, vel impedimentum inferatur.

Sæc. XVI.
A.C. 1550.

§. VII.

Congregatio a Pontifice habita pro dando responso ad Cæsaris postulata.

Enimvero Julius III. Papa vix Pontificatum adeptus sacrum Collegium Pall. l. II. c. 8. n. 2. & c. 7. n. 1. & 2. cuiusdam interesse voluit Congregationi, quæ ex iisdem Cardinalibus, atque Episcopis, quos Paulus III. ejus Prædecessor selegerat, constabat, & solus aberat Cervinus periculoso morbo decumbens: Itaque in hoc Patrum conventu decretum, quod Papa Petrum Toletanum ad Cæsarem, & Abbatem Rossetum ad Galliarum Regem ablegaret, dato negotio, ut utrique Principi pro sollicitudine, qua illius electionem promovebant, grates rependerent, ac paternam eis benevolentiam offerentes illos ad pacem, quæ unicum afflictæ Ecclesiæ levamen foret, hortarentur: speciatim vero Oratori ad Franciæ Regem ablegato injunctum, ut de Parmensi urbe mentionem inspergeret; Papa enim ex juramenti fide in conclavi ante suam electionem

Sæcul. XVI.
A.C. 1550.

electionem data Octavio Farnesio hanc urbem restituere, ac pro illius præsidio duo aureorum millia ad singulos Menses eidem assignare tenebatur, quinimo Camillo Ursino, ut expensas in propugnanda hac urbe factas eidem compensaret, viginti insuper aureorum millia numerare debebat. Attamen re comperta Galliarum Rex hanc Pontificis agendi rationem minime probabat; cum igitur Papa Regem haud abs re offensum pertimesceret, ut eundem placaret, Rosseto Abbati in mandatis dedit, quatenus Regi exponeret, quod hanc restitutionem omnino facere compulsus esset, cum jurejurando in sacris comitiis præstito ad id obstringeretur, nilque aliud intenderet, quam pacem, & concordiam inter Fratres reddere, omnemque belli prætextum submovere, ac denique Cæsarem ab occupanda hac urbe prævertere. Porro Toletano injunxit, ut Imperatori declararet, Pontificem ad convocandam Synodum pro restauranda Religione, ac pace paratissimum esse, dummodo pro parte sua Cæsar quoque omnia submovere vellet obstacula, quæ tam pium opus præpedire possent.

§. VIII.